



Consilia Seu Responsa Juris

Schmalzgrueber, Franz

Augusta Vindelicorum & Ratisbonae, MDCCXL

Cons. XVIII. Vicariæ Temporalis. ubi examinatur, quid Episcopo præstare teneantur Religiosi ad Vicarias temporales expositi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72304](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72304)

universas potuissent repetere. Consequenter 3. stante hac probabilitate, quod pecuniæ istæ restitui debuissent Principi, ac statibus, dubium erat, an compensatio hæc fuerit facta ex re debitoris, seu subditorum, pro quibus remissiones istas sollicitavit Sempronius. Posito autem, quod remissiones istæ impetratæ sint valide, & subditis illæ profuerint. 4. Sempronius refusionem expensarum, quas ipse in favorem subditorum fecit, impetrare potuisset alio modo, scilicet ostenso computo expensarum istarum, petendo illarum solutionem à subditis, qui non æstimantur futuri fuisse inviti, nec reluctaturi in istis reficiendis, quippe quibus mediantibus, pro ipsis impetratus fuit tam insignis favor, quem alias sperare non potuissent. 5. denique debitores potius fuissent illi subditi, qui allegata pro remissione damna passi sunt, & quibus remissiones istæ profuerunt: adeoque subditi illi, qui à damnis istis fuerunt immunes, & qui Collectas integras, pendere debuerunt, non fuerunt debitores, adeoque compensatio facta est in damnum, & cum præiudicio tertii.

42. Resolutio huius quæstionis sumitur ex deductis ad quæstionem 1. nam quantitas pecuniarum, quas Sempronius pro compensatione expensarum, à se factarum, sibi retinuit, respectu singulorum subditorum, in quos secundum proportionem distribui debuissent, est valde exigua. Sicut ergo per hæc dicta ipse princeps, &

status in consideratione maximæ difficultatis in facienda repartitione portionum, quid quemque subditorum tangeret, si illis revera pecuniæ sic remissæ deberent ab ipsis restitui, merito censetur relaxasse hanc restituendi obligationem, ita & subditi in casu, quo revera ipsis condonavit princeps has remissiones, & quidem multò magis præsumuntur non velle repetere à Sempronio ea, quæ in compensationem expensarum, hoc casu à se factarum is sibi retinuit; cum enim Sempronius singulis annis retinuerit sibi ex remissionibus his expensas, annuatim à se factas, non censetur operam suam in hoc negotio locasse gratis: adeoque 1. debitum, quod ita sibi compensavit, fuit debitum strictum. 2. fuit debitum certum, præsens, &, supposito, quod princeps absolute remissiones has fecerit, compensatum ex re debitorum. Neque obstat, quod aliter obtinere potuisset solutionem; præterquam enim, quod 3. conditio ista sub mortali non obliget, in hoc casu moraliter observari non posset. Tutò ergo Sempronius sic sibi compensata retinet, & sicut tres TT. ab ipso consulti, quamvis in aliis quibusdam discordes, omnes tamen eundem ab obligatione restituendi illarum, quæ ad fabricam Ecclesiæ applicavit, absolverunt, ita etiam, & multò magis absolvi ille debet ab onere reddendi ea, quæ in compensationem expensarum, in favorem subditorum factarum, sibi retinuit.

CONSILIUM XVIII.

In dubio juris exponendi Vicarios temporales ad parochiales Ecclesias sine novo examine, & aliis concomitantibus.

SUMMARIUM.

1. Facti species.
2. Jus conferendi beneficia plenissimo jure unita monasterio, competit Prælati monasterii.
3. Si beneficium non plenissimo jure est unitum, confert illud Episcopus.
4. Prælati habens jus institutionis collativati-tuli, non semper habet jus institutionis autorizabilis.
5. Qua in beneficiis curatis non potest præscribi contra Episcopum.
6. Parochia pleno jure unita monasterio nunquam vacat.
7. Nec tenetur monasterium ibi ponere Vicarium perpetuum.

8. Ecclesia jure pleno unita monasterio fit beneficium regulare.
9. Hinc talis Ecclesia non indiget institutione Vicarii collativa tituli.
10. In præsentis casu supponitur approbatio ordinarii.
11. In Ecclesia pleno jure incorporata monasterio, parochus principalis est abbas.
12. Responderetur ad oppositas rationes dubitandi.
13. seq. Exponendus ad curam animarum debet ab Episcopo examinari, nisi jam aliunde nota sit ejus aptitudo.
15. seqq. Inconstituendo Vicario temporalino requir-

(Cc 3)

requiruntur ea, qua aliàs observanda sunt in collatione beneficii curati.

22. Vicaria temporalis Ecclesia monasterio unita non per propriam institutionem, sed provisorio duntaxat modo committitur.

23. 24. Neque ejusmodi Vicarii temporales tenentur edere professionem fidei.

FACTI SPECIES.

I.



Legitum, & antiquissimum monasterium B. aliquot Parochiales Ecclesias habet, sibi à pluribus sæculis pleno jure incorporatas, quas hucusque semper per regulares, ex gremio suo assumptos, administravit. Novissimè præterit Reverendissimus Ordinarius, ut, quotiescunque mutatio sit inter regulares, pro administratione Parochiarum hujusmodi à Reverendissimo Domino Abbate expositis, recens expositus se ipsi sistat examen de novo subeat, literas commissionis impetret, juramentum fidelitatis, ac professionem fidei deponat, semperque primos fructus persolvat, aut saltem, ut ipsum monasterium ab eodem Celsissimo impetret indultum, quo ab his oneribus eximatur: quod tamen indultum non nisi ad tempus arbitrarium, vel ad dies vitæ Reverendissimi Abbatis, pro tempore exsistentis, concessurus est, ita, ut, elapso termino, indulti hujus durationi præfixo, illud denuo renovandum sit cum onere, ut quoties istud renovabitur, pro quavis parochia pendenda sit certa pecuniæ summa. Hac specie facti posita,

QUÆRITUR I.

An Reverendissimus loci Abbas in casu, quo in Parochiis, Monasterio suo incorporatis, circa

expositos regulares pro cura animarum mutationem aliquam facere cogitat, noviter exponendum debeat remittere ad Reverendissimum

Ordinarium, ut ab ipso instituat?

Rationes dubitandi.

2. **R**ationes dubitandi sunt 1. quia jus conferendi beneficia, & in his instituendi clericos jure ordinario competit solum Pontifici, & Episcopis respectu Ecclesiarum, in diocesi istorum sitarum, non verò Prælati inferioribus, licet beneficium, in quo instituendus est clericus, & ipsa Ecclesia, in qua situm est tale beneficium, incorporata, & unita sit ipsius monasterio,

25. seqq. Fructus primi Vicariorum temporalium non debent solvi, quoties mutatur Vicarius.

29. Immunitas à præstandis primis fructibus potest præscribi.

30. Si monasterium solvit Annatas, non debent ulterius peti primi fructus unitarum Ecclesiarum.

vel collegio; nam tripliciter præcipue talis Unio fieri potest, scilicet 1. quoad temporalia tantum. 2. etiam quoad spiritualia, sed pleno duntaxat jure. 3. plenissimo jure, ita, ut vi talis unionis Ecclesia quoad territorium, clerum, & populum omnino exempta sit à jurisdictione Episcopi diocesani. Hoc tertio modo si unio facta sit monasterio, hujus Prælati in hoc suo territorio obtinet jurisdictionem quasi Episcopalem, & venit nomine Ordinarii: consequenter etiam beneficia, in tali territorio exempto sita, conferre potest, nisi collatio eorum jure speciali ad alium spectet.

Laym. libr. 4. tract. 2. c. 6. n. 6. Leuren. for. benef. p. 2. sect. 3. c. 2. q. 718. n. 2. in fin. Pirhing. ad tit. de prab. & dignit. n. 86. Engl. ibid. n. 61. Wiestner dict. tit. n. 51. & patet ex c. quoniam 21. de Privil.

Et ratio est, quia tunc Episcopo in Ecclesiam sic unitam nullum jus Episcopale competit: & ideomirum non est, quod monasterium, vel Abbas illius, aut capitulum, independentem ab Episcopo loci, Presbyteros, aut Vicarios in Ecclesia sic incorporata instituere, & destituere, eos visitare, rationem administrationis ab ipsis exigere, aliâque facere, quæ ad jus Ordinarii spectant, valeat.

Barbos. in c. 31. de Prab. n. 4. Wagnereck in c. 12. eod. nor. 1. Passerin. in c. 1. dict. tit. in 6. n. 8. & 10. Pirhing. ibid. n. 217. Leuren. q. 718. cit. n. 3.

sed monasterium B. non præterit in Ecclesias Parochiales, sibi incorporatas, tam perfectam unionem; nec enim populus, & territorium illarum à jurisdictione Episcopali exemptum dici potest: Proinde

2. Ecclesiæ, eidem monasterio incorporate, quoad spiritualia quidem, sed pleno tantum, non verò plenissimo jure eidem monasterio unitæ sunt: quo casu juxta communem, & certam doctrinam pro Ecclesia taliter unita Prælati, vel monasterium idoneum Vicarium Episcopo præsentare debet ab ipso examinandum, & in ea instituendum. Neque refert, utrum monasterium secundum se exemptum, sive non exemptum sit.

Laym. in c. 2. n. 7. de supplend. negl. Pralat. Barbos. in c. 31. tit. cit. n. 1. Passerin. in c. 1. dict. tit. in 6. n. 9. Pirhing. l. cit. n. 218. Clericat. de benef. discord. 75. n. 20.

Ratio est, quia per deputationem clerici curati non agitur de providendâ Ecclesiâ uni-

unità, sed de providendo populo, qui reperitur habitare sub illa cura, & Episcopo subiectus manet, cuius interest, ut sacerdos habilis ad eundem populum regendum deputetur. Eritque Vicarius iste, sive perpetuus ille, sive temporalis sit, etiam religiosus exempti monasterii, vel ordinis, quoad ea, quæ ad curam animarum, & Sacramentorum administrationem pertinent, subiectus jurisdictioni Episcopi diocesani, ita, ut ab eo visitari, & corrigi possit, juxta Decretum Trid. sess. 25. c. 11. de regular. juncta declaratione Cardd. ibidem n. 1. apud Joannem Gallebart. & ratio est, quia exemptus ratione rei non exemptus, ut ait

Innoc. in c. cum Capella 16. in fin. de Privil.

subiacet jurisdictioni Ordinarii. Proinde, si Parochiani subiecti sunt curæ, & jurisdictioni Episcopi, etiam Rector Parochiæ in iis, quæ ad curam spectant, eisdem subiectus erit. Deinde

4. 3. Esto, quod institutio collativa tituli in beneficiis, vel Ecclesiis, pleno jure unitis monasterio, competere possit aliquando Prælati Episcopo inferioribus ex privilegio, consuetudine, vel potius præscriptione, licet isti non habeant jurisdictionem ordinariam:

c. cum venissent 6. de instit. c. ex tenore 13. de concess. Prab. Azor p. 2. libr. 6. c. 25. q. 20. Pirhing ad tit. de Prab. n. 86. in fin.

tamen præscriptio hæc, si fiat contra Episcopum, intra cujus diocesim beneficia hujusmodi sita sunt, per

c. Episcopum 1. de præscript. in 6. Palao tract. 13. d. 2. p. 27. n. 3.

debet esse quadragenaria cum titulo, & sine titulo immemorialis. Item ex eo, quod Prælatus aliquis dicto modo obtinuerit jus institutionis collativæ tituli in Ecclesia unita, non tamen sequitur, quod in ea etiam habeat jus institutionis autorizabilis, nisi talis Ecclesia unita sit monasterio jure plenissimo, ita, ut Prælatus illius in clerum simul, & populum jurisdictionem quasi Episcopalem exerceat. Hinc, si pleno tantum jure beneficium aliquod sit unitum alteri Ecclesiæ, monasterio, vel dignitati, Prælatus talis Ecclesiæ, vel monasterii, etiam si institutio collativa tituli eidem competat, nisi tamen munitus sit speciali Privilegio Apostolico, sic à se institutum, si curatus esse debeat, pro institutione autorizabili remittere debet ad Episcopum Diocesenum, cui populus talis Ecclesiæ subest.

Leuren. p. 2. for. benef. q. 7. n. 2. & 3. & alii communiter.

nam institutio autorizabilis jure communi competit Episcopis, & ab his facienda est, præmissis de idoneitate examine, ta-

meti institutio collativa tituli ad alium quandam Prælatum spectet.

c. cum satis 4. de offic. archidiacon.

Et hoc quidem 4^{to} procedit, ut hodie jure novo Trid. sess. 7. c. 13. de reform. Institutio autorizabilis in beneficiis curatis, quamdiu illa à jurisdictione Episcopi non eximuntur, contra hunc à Prælati inferioribus nullo amplius tempore præscribi possit, ut cum communi docent

Lotter. de benef. libr. 1. q. 25. n. 11. & seqq. & q. 33. n. 99. & seqq. Barbof. de offic. Episc. alleg. 72. n. 183. Murga de benef. q. 2. n. 183. & q. 3. n. 100. & seqq. Leur. p. 2. for. benef. q. 720. n. 1. & novissimè Emin. Card. Vinc. Petra tom. 3. Comment. fol. 347. n. 32. atque apud hunc Rota in Burgenf. Jur. conferend. 23. Jun. 1690. in Fanens. Jurisd. 16. Jun. 1704. in Burgenf. Jurisd. sup. commiss. Cur. 11. Jan. 1706.

Ratio est, quia in Decreto Trid. cit. ad ejusmodi beneficia præsentati à locorum Ordinariis examinari, & ad curam animari approbati jubentur, non obstante quovis privilegio, & consuetudine, sive præscriptione etiam immemoriali, ut adeò videatur damnare consuetudinem non tantum introductam, sed omnem etiam in futurum introducendam. Et quidem merito, quippe cum ejusmodi consuetudo, seu præscriptio, ipsaque Privilegia, quæ talem potestatem, ab Episcopo independentem, dederant, cum tempore damnosa Ecclesiis, periculosa animabus, & publice perniciose esse cœperint. Verum, istis non obstantibus,

6. DICENDUM, consideratis circumstantiis præsentis casus, non teneri Reverendissimum Dominum Abbatem tum, quando ipse circa expositos regulares pro cura animarum in Parochiis unitis mutationem aliquam facere cogitat, noviter exponendum remittere ad Reverendissimum Ordinarium, ut ab ipso instituatur. Nam 1. Parochiæ quæstionis à pluribus sæculis sunt pleno jure Monasterio B. incorporatæ, prout tenor Bullæ, 24. sigillis, & ipso etiam sigillo Celsissimi Ordinarii, tunc temporis existentis, munitæ, indicat: adeoque ipse Reverendissimus Abbas loci est Parochus principalis dictarum Ecclesiarum, & sic nunquam vacant Parochiæ, sic unitæ ipsius Collegio, ut institutione novâ indigeant.

7. Neque 2. idem Reverendissimus Abbas tenetur in his Parochiis ponere Vicarium perpetuum; licet enim, spectato jure communi per

c. extirpanda 30. §. qui verò de Prab. c. un. de Capell. Monach. in 6. & Trid. sess. 7. c. 7. de reform.

in Ecclesiis Parochialibus, quæ perpetuò annexæ sunt Ecclesiis, Capitulis, Monasteriis, & aliis piis locis, constituendi sint Vi-

Vicarii perpetui, intelligendum tamen hoc, ut notat

König *ad tit. de Offic. Vicar. n. 12.* solum est de iis Parochiis, quæ tantum quoad temporalia unitæ, & semper per sæculares Clericos administratæ fuerunt. Consequenter excipi debent Ecclesiæ (quæ ut sunt Parochiæ quæst.) pleno jure, i. e. quoad temporalia simul, & spiritualia unitæ sunt Monasterio; nam in his juxta

Bullam S. Pii V. incipit, *ad extirpandam. circa finem.*

exponi Regulares cum jure Vicariorum temporaneorum possunt, præsertim, si per hos hætenus semper Parochiæ tales administratæ sunt. Et quidem

8.

3. Patrocinate ipso jure; nam, ubi unio cujusdam Ecclesiæ quoad temporalia simul, & spiritualia Monasterio facta est, per hujusmodi unionem in tali Ecclesia extinguitur prior titulus, ipsaque fit beneficium regulare: consequenter, ut pro administratione talis Ecclesiæ, quæ ante unionem erat secularis, deputari regularis possit, permissio Apostolica, ut alias, non requiritur, sed absque hac ex privilegiis Regularium plerorumque, & communicatione eorum deputari regularis potest, ut pluribus allegatis, advertit

Emin. Card. Vincent. Petra *tom. 2. fol. 15. n. 48.*

qui assertionem istam adductis etiam declarationibus Cardinalium roborat. Ex quo sequitur

9.

4. Quod tales Vicariæ temporales Ecclesiarum, pleno jure unitarum Monasteriis, non indigeant institutione collativa tituli: imò quod ne quidem illæ per talem institutionem, secluso privilegio Apostolico, Regularibus conferri possint; nam titolare Beneficium confertur in titulum perpetuum, ita, ut semel legitime collatum beneficiato, nisi ex iusta causa, eoque in jure expressa auferri nequeat.

Azor *p. 2. libr. 3. c. 1. q. 4. §. quinto dividitur.* Layman *libr. 4. tract. 2. c. 4. n. 5.* Palao *tract. 13. D. 1. p. 2. n. 4.* Vallens. *de benef. libr. 1. tit. 2. n. 9.* Pirhing *ad tit. de Prabend. n. 13.* Wiestner *ibid. n. 31.*

Contrà verò talis tituli perpetui Regulares ob votum obedientiæ capaces non sunt, atque ideo obtinentes hujusmodi vicarias amoveri inde ad nutum Superioris, ad has Ecclesias administrandas exponentis, possunt. Quare talis Vicarius Regularis, ad nutum Abbatis sui amovibilis, aliâ institutione, vel collatione, ab Episcopo faciendâ, opus non habet, sicut illâ etiam non indiget Vicarius alius temporalis, quem sine hac Prælatus in casu, quo vacat Vicaria perpetua in Ecclesia, Monasterio suo unitâ, pro ista, interim administrandâ, usque dum ab ipso alius, in Vicarium perpetuum assumendus, Episcopo proponatur,

ad vices illius gerendas deputat, ubi sufficit, si hunc Episcopus approbet, & licentiam administrandi Sacramenta eidem concedat.

Gonzal. *ad Reg. 8. Cancell. Gloss. §. 5. 3. à n. 15.* Garc. *p. 1. de benef. c. 2. n. 63.* Barbof. *libr. 3. Jur. Eccl. c. 6. n. 63.* & alii ab his cit.

Sed neque §. in casu præsentis quoad exponendos ex Monasterio B. regulares pro administrandis dictis Parochiis deest approbatio, & licentia Celsissimi Ordinarii; nam omnes, & singuli ad perpetuam curam animarum, tum in propria Ecclesia, tum extra illam in aliis eidem incorporatis Ecclesiis exercendam, admissi sunt, ut patet ex formula hætenus usitatâ, ibi, *Quocirca te ad concionandum, confessiones excipiendas, & Sacramenta administranda, aliâque curam animarum concernentia in dicto Monasterio tuo, & extra id, Ecclesiis videlicet Monasterio tuo subjectis, seu incorporatis (si est de consensu A. R. D. Abbatis. seu superioris tui) exercenda, dignum, & idoneum iudicamus, & tenore præsentium admittimus &c.* Ut adeo per tenorem istorum verborum sufficiat, si Religiosus de voluntate Reverendissimi domini Abbatis sui ad curam animarum, in Ecclesia incorporatâ exercendam, exponatur, nec opus sit alia institutione autorizabili; cum enim hæc nihil sit aliud, nisi declaratio facta ab Episcopo, quâ ille iudicat de idoneitate cujusdam ad exercendam curam animarum, hanc institutionem autorizabilem omnes, & singuli incolæ dicti Monasterii ad omnes Ecclesias, huic incorporatas, per dictam formulam jam antè, quàm exponerentur, re ipsa obtinuerunt: consequenter nihil aliud ultra requiritur, nisi ut exponendo conferatur jurisdictio in populum, in quem exercere curam animarum debet. Hanc autem

II.

6. Si Parochia pleno jure sit incorporata Monasterio, & administrari solita per Vicarium temporaneum, dare ipsemet Prælatus Monasterii huic suo Vicario potest, tanquam Parochus principalis Ecclesiæ taliter incorporatæ, quippe cum in tali casu tota cura tam actualis, quàm habitualis hujusmodi Ecclesiæ penes ipsum Prælatum resideat. Hinc differentia faciendâ est inter casum, quo Ecclesia incorporata administratur per Vicarium perpetuum, & inter casum, quo illa habet solummodo temporaneum. In primo casu tota cura actualis Vicario commissa est; principalis autem rector Ecclesiæ, seu Prælatus illam, vivente Vicario perpetuo, non nisi in habitu retinet: & ideo ille, hoc invito, in administrationem Sacramentorum, aliorumque divinorum ingerere sese nequit, vel debet, ut aliis relatis advertit

Laym. *in c. 3. de Offic. Vicar. n. 2.*

Contrà Vicarius temporaneus, qui loco Parochi principalis Parochiam administrat, est

est solum Cooperator istius: unde, sicut Cooperator Parochum suum à divinarum administratione impedire non potest, ita nec Rectorem principalem ejusdem Vicarius. Ex quo fluit, quòd, sicut Parochus principalis curam in actu retinet, ita eam communicare regulari subdito suo possit.

12. Suppositis hactenus dictis, non est difficilis solutio oppositarum rationum dubitandi. Ad 1. facile concedit Reverendissimus Abbas B. Ecclesias sibi subiectas Monasterio suo non esse incorporatas plenissimo jure: & hinc in casu subtrato non est quaestio neque de omnimoda exemptione, quam unio, & incorporatio praedicta secum trahit, neque de consequente ex hac jure institutionis collativae tituli. Ad 2. fatetur etiam idem Reverendissimus, populum in memoratis Ecclesiis esse, & manere subiectum jurisdictioni Celsissimi Ordinarii, & ideo pro his Ecclesiis administrandis exponi neminem posse, nisi quem ipse idoneum judicaverit, atque adeò institutionem autorizabilem eidem dederit. Et hinc ad 3. memoratus Reverendissimus non vendicat sibi jus institutionis autorizabilis, utpote quam ad 4. scit, jure novo Trid. num. 5. allegati in beneficiis curatis, quamdiu illa à jurisdictione Episcopi non eximuntur, nullà praescriptione obtineri posse. Id solum laudatus iteratò Reverendissimus Abbas praetendit, ut, cum Parochiae quaest. juxta num. 6. Monasterio B. à pluribus saeculis pleno jure incorporatae, gaudere, ut antehac semper, ita etiam imposterum possit jure, quo juxta num. 7. gaudent Praelati, quorum Monasteriis pleno jure Parochiales Ecclesiae aliae incorporatae sunt, & in Parochiis, sibi tali jure unitis, pro administranda animarum cura exponere Regulares suos subditos, tanquam Vicarios temporaneos, quippe quod per num. 8. conforme est ipsi juri, & communi DD. menti: ubi per dicta num. 9. opus non est institutione collativa tituli, imò ne quidem talis institutio in regularibus locum habere potest, sed sufficit, si Ordinarius ita exponendum approbet, & licentiam Sacramenta administrandi eidem concedat. Cum ergo omnes, & singuli Regulares B. juxta num. 10. ad curam animarum in- & extra Monasterium suum, in Ecclesiis scilicet incorporatis exercendam, ab ipso Celsissimo approbati, consequenter institutione autorizabili muniti sint, nihil aliud ultra requiretur, quam ut exponendus habeat jurisdictionem in populum sibi committendum, quam per dicta num. 11. ipsemet Reverendissimus Abbas, quippe qui curam Ecclesiae incorporatae non tantum in habitu, sed etiam in actu retinet, suo Vicario regulari non minus, ac quivis Parochus suo Cooperatori communicare potest. Hinc respondetur ad id, quod

R. P. Schmalzgrueber Consilia.

QUAERITUR II.

An, quotiescunque fit mutatio inter expositos pro administrandis Parochiis, toties de novo exponendus, etsi alias perpetuò ad curam animarum sit admissus, examen subire teneatur?

Rationem dubitandi facit sacra synodus Tridentina sess. 7. c. 13. de reform. ubi statuitur, ut nemo, à quibuscunque personis Ecclesiasticis (multò igitur minùs à laicis) praesentatus, vel nominatus, ad beneficium antea admittatur, quàm à loci Ordinario, cui beneficium subiectum est, examinatus, & idoneus repertus fuerit; & quidem meritò; est enim Episcopus supremus in sua Dicecesi Pastor: consequenter providere debet, ut populus in subiectis sibi Parochiis bene pascatur in spiritualibus, sacra legitime administrantur &c. quod curare non potest, nisi sciat, qui, & quales praesentantur: quod ipsum explorandum est instituto examine.

Sed, etsi hoc verum sit regulariter, sunt tamen aliqui casus, in quibus, ut examen de praesentato ad beneficium, etiam Parochiale, instituere necesse non est: inter quos juxta

Lambertini. p. 1. libr. 2. art. 2. n. 1.

Corrad. libr. 4. c. 2. n. 5. Leuren.

p. 2. for. benef. q. 185. n. 2.

ponitur etiam ille, si praesentatus absens notus est Ordinario, quod praesumitur de Dicecesano instituentis, maxime si ab ipso suscepit Ordines. Ratio est, quia examen de instituendo ad beneficium suscipitur, ut cognoscatur de idoneitate promovendi; ubi autem instituente jam antè notus est promovendus, de ejusdem aptitudine jam aliunde habetur sufficiens notitia. Igitur, cessante fine instituendi examinis, cessare etiam debet hujus instituendi necessitas. Ex quo ducitur argumentum ad casum praesentem; nam, ut dictum est num. 10. dum Regulares B. à Reverendissimo Ordinario admittuntur ad curam, admittuntur expresse dicendo, eos esse, & judicari dignos, & idoneos, ut, quae curam animarum concernunt, in-vel extra Monasterium in Ecclesiis incorporatis exercent: qui proinde modus approbandi supponit notitiam, vel ex ipso examine per Ordinarium pro cura suscepto, vel ex testimonio fide digno Reverendissimi Abbatis haustam: ut adeò necesse non sit instituere novum examen super idoneitate exponendi ad curam.

(Dd) QUÆ-

QUÆRITUR III.

Utrum, quando à Reverendissimo Abbate B. exponitur novus Vicarius temporalis, iste semper in aditu Vicaria sua teneatur literas commissionis impetrare, Juramentum fidelitatis præstare, & Professionem fidei edere?

15. IN hac materia plurimum tribuendum est locorum consuetudini, concordis, & contractibus, & particularibus præscriptionibus. In monasterio B. à multis sæculis Vicarii regulares expositi semper fuerunt immunes ab his oneribus, nec quidquam istorum fuit unquam ab ipsis præstitum, vel petum: ut adeo merito dici possit, immunitatem hanc fuisse præscriptione quæsitam. Imò immunitas à dictis oneribus memorato monasterio videtur competere ipso jure; quia dicta onera solum incumbunt obtinentibus beneficia propriè dicta, & tum primum, quando propter vacaturam conferuntur alteri. Atqui Vicariæ temporales (qualis est, & esse debet de jure Vicaria, cujus capax est regularis) non sunt

16. 1. Beneficia propriè dicta, seu talia, de quibus loqui SS. Canones solent, & in cujusmodi beneficio requiritur, ut institutum perpetuo duret, & canonicè collatum amplius auferri nequeat, nisi in casibus, à jure expressis.

can. Sanctorum. 2. dist. 70.

atque in hoc Vicariæ temporales differunt à perpetuis; hæ enim æquiparantur beneficiis, & appellatione beneficiorum veniunt per textum expressum

cap. postulasti 25. de rescript.

ibi, non enim beneficio cavere debet dici, cui competenter de perpetua Vicaria proventibus est provisum, & notat Gloss. ibid. V. beneficium, cum communi DD. apud Reiffenstuel

lib. 3. Decret. tit. 5. n. 68.

17. Quod confirmatur 2. quia Vicaria temporalis non præbet titulum in beneficio, quippe qui titulus in casu, quo una Ecclesia accessorie unitur alteri, vi talis unionis in ejusmodi Ecclesia extinguitur, ita, ut ista respectu Ecclesiæ, cui ipsa unitur, fiat membrum, & quasi prædium.

Garc. p. 1. de benef. c. 2. n. 93.

Ex quo consequitur, quod per ejusmodi unionem cura animarum transferatur in monasterium, & hujus Abbas in tali casu sit rector principalis Parochiæ sic unitæ, isque potestatem habeat Vicarium aliquem exponendi ad curam exercendam.

can. visis litteris 1. caus. 16. q. 2.

ita, ut pro collatione talis Parochiæ neque concursus Episcopus publicare possit

juxta Bullam S. Pii V. incipit ad exequendum.

Barbos. in Collect. ad Conc. Trid. sess. 24. c. 18. de reform. n. 16.

Neque etiam 3. in ea locum habeat terminus Lateranensis Concilii: & ideo ejus collatio propter vacaturam ultra sex menses ad Episcopum non devolvitur, cum nunquam vacare censeatur, ex quo principalis cura penes Abbatem residet.

Clem. un. de excess. Pralat.

ubi Clemens V. Prælati Ecclesiarum districte præcipiendo mandat, quatenus viros religiosos exemptos, & non exemptos charitative tractent, & sua jura, & privilegia inviolabiliter eis servant.

Barbos. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 58. n. 16. Chockier de jurisd. in exempt. p. 1. q. 17. n. 9. Honor. ad tit. de Præb. n. 60. Engl de Privil. & Jurib. Monast. tit. de union. plen. jur. n. 2.

Atque hoc 4. mirum esse non debet, quippe cum constitutio Vicarii amovibilis (qualis est, quando exponitur regularis Vicarius) in Parochiis, pleno jure unitis, non sit propria institutio, sed potius provisorio administratio, & titulus beneficii, ipsaque cura actualis sit penes monasterium, quam etiam Abbas, præsentem Vicario suo temporali, actu ipso exercere, si velit, potest. Et hanc sententiam communem esse refert

Barbos. de Offic. Episc. p. 3. alleg. 72. Less. de J. & J. lib. 2. c. 41. dub. 12. n. 98. Tambur. de Jur. Abb. tom. 3. D. 9. q. 8. n. 2. Engl l. cit. n. 3.

Neque obstat, quod 5. in hoc casu, quo Parochia pleno tantum, & non plenissimo jure unita est monasterio, populus maneat subiectus Episcopo; nam, licet propterea Vicarius temporalis, etiam regularis, in iis, quæ pertinent ad curam animarum, debeat approbari ab Episcopo. hujusque jurisdictioni, & visitationi subdit juxta

Trid. sess. 25. c. 11. de regular. junct. Const. Gregor. XV. incipit, inscrutabili,

ipsi tamen Vicarii temporales, sive regulares, sive seculares poni debent ad arbitrium superiorum regularium, non verò Episcopi, nisi quod curam animarum accipere debeant ab Episcopo.

Engl loc. cit. n. 6.

Confirmantur hæc ulterius 6. à paritate cum Vicario perpetuo; nam, quando hujus Vicaria per mortem, renuntiationem &c. vacat, Prælatus Ecclesiasticus, cui beneficium parochiale pleno jure unitum est, in locum talis Vicarii, qui prius erat in eo beneficio, deputare potest Vicarium temporalem, donec proponatur Ordinarius Vicarius alius perpetuus: neque in hoc casu opus est collatione, quæ fiat tali Vicario temporali, sed sufficit, si eum Episcopus

scopus approbet, & licentiam administrandi Sacramenta eidem concedat, ut notat

Gonzal. *ad Reg. Cancell.* 8. *Gloss.* 5. §. 3. à n. 35. *Garc. p. 1. de benef. c. 2. n. 93.* *Barbol. lib. 3. Jur. Eccl. c. 6. n. 63.* & ab his cit.

Igitur multò magis sufficiet approbatio Episcopi, & licentia administrandi sacramenta ab eodem concessa, in casu, quo in Parochia, pleno jure unità, exponitur Vicarius temporalis.

22. *Resolvitur questio.* Ex his sequitur responsio ad propositam questionem tertiam. Cum enim ab oneribus, in hac questione propositis, Monasterium B. à multis sæculis quoad expositos semper immune fuerit, & ipsa etiam ratio probet, quòd dicta onera tantum incumbant beneficiariis propriè dictis, Vicariæ autem temporales non sint propriè dicta beneficia, quippe quæ nec titulum conferunt, nec per propriam institutionem, sed provisorio duntaxat modo, & non ab Episcopo, sed ab Abbate, cui unita est talis Parochia, licet cum approbatione ad Sacramenta Parochianis administranda, reservatà tamen ipsà curà actuali ipsi Prælato, committuntur, adeoque Parochia talis, amoto Vicario temporali non vacet, consecutaneum est, quòd Vicarius talis in aditu Vicariæ suæ nec literas commissionis impetrare, nec juramentum fidelitatis præstare Ordinario suo debeat, quippe quod proprium est beneficiatis, & Vicariis perpetuis, cujus Vicariæ administratio per se loquendo repugnat statui regulari; nam, ut bene notat

Engl. loc. cit. n. 4.

cogere Prælatos, ut aliquem subditum regularem, tanquam Vicarium perpetuum, instituunt, esset quasi eundem ab obligatione vitæ monasticæ, & obedientiæ regularis absolvere.

23. Dubium esse potest, an non saltem hujusmodi Vicarii temporales in aditu Vicariæ suæ teneantur fidei professionem edere, quippe cujus edendæ obligationem, præter Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, dignitates, & Canonicos in Ecclesia Cathedrali, Concilium Tridentinum *sess. 24. c. 1. de reform.* injungit provisum de quibuscunque beneficiis, curam animarum actualem annexam habentibus, ita quidem, ut, prout à S. Congr. declaratum fuisse refert

Garc. p. 3. de benef. c. 3. n. 17. & 18.

& tenent Azor *p. 2. libr. 7. c. 2. q. 8.*

Bonac. Præcept. 1. Eccl. D. 3. q. 2. p. 4.

§. 1. n. 8. Tambur. tom. 2. de Jur. Abb.

D. 8. q. 3. n. 8. Reiffenst. ad libr. 1.

Decret. tit. 1. n. 158.

amplietur ad eos etiam, qui in adeptione alterius beneficii professionem fidei jam antea emisserunt, & hiquoque, si postmodum de alio beneficio curato, vel canonicatu,

R. P. Schmalzgrueber Consilia

aut dignitate in Ecclesia Cathedrali provisi fuerint, teneantur rursus eam facere. Ratio est, quia Tridentinum *loc. cit.* simpliciter jubet, ut provisorius de ejusmodi beneficio intra bimestre à die adeptæ possessionis faciat professionem fidei, neque distinguit, an hæc antea fuerit facta.

24. Verum, ut bene cum aliis notat Reiffenst. *loc. cit. n. 166.* hoc Tridentini Decretum Vicarios temporales non afficit; quia sacra hæc Synodus, injungens dictam obligationem edendi professionem fidei, tantum loquitur de iis, qui provisi sunt NB. de beneficiis, curam animarum annexam habentibus. Cum ergo juxta dicta *num. 16. & seqq.* Vicariatus temporales non sint propriè dictum beneficium, decretum hoc, utpote penale, & novi juris, ad Vicarios temporales extendi non debet.

QUÆRITUR IV.

An Monasterium B. in quavis mutatione expositorum ad Ecclesias incorporatas administrandas teneatur Reverendissimo Ordinario solvere primos fructus?

25. P. Erit hoc Reverendissimus Ordinarius disjunctive, scilicet, ut memoratū Monasteriū vel primos fructus, quoties expositum ad Parochiam administrandam mutari contigerit, persolvat, vel ab eodem indultum exemptionis ab onere isto impetret, quod tamen indultum non aliter se daturum addit, nisi ad tempus arbitrium, aut ad dies vitæ Abbatis, pro tempore existentis, ita tamen, ut, elapso termino temporis, indultum hoc renovetur, & quoties renovabitur, pro quavis Parochia solvatur certa pecuniæ summa.

26. Durissima videtur esse ista conditio; nam imò si quocunque tempore, quo mutatio Vicarii temporalis, ad Parochiam administrandam expositi, fiet, fructus primi deberent solvi, cum hæc fieri possit ad nutum Abbatis, etiam intra annum sæpius, contingere posset, ut aut nihil, vel parum duntaxat ex Parochiis incorporatis de harum fructibus Monasterium percepturum sit, aut Reverendissimus Abbas, si velit Parochias istas Monasterio esse frugiferas, cogendus sit ad mutationem vix unquam faciendam. Primum pugnat cum intentione incorporationis factæ pleno jure, scilicet quoad temporalia æquè, ac spiritualia; secundum cum statu regulari, juxta quem regulares expositi quocunque tempore ad nutum Abbatis, & superiorum suorum in Monasterium suum revocari possunt.

(Dd 2)

a. Pri.

27.

2. Primi fructus penduntur solum, quando beneficium vacaverit, atque in hoc, ut vacans, succedit alius beneficiatus. Atqui beneficium Parochiale, pleno jure incorporatum Monasterio, nunquam vacat, imò titulus ejus omnino per hujusmodi unionem extinguitur, ipsumque beneficium sit unum corpus cum Monasterio, cum quo unitur, ita, ut Abbas illius curam actualem semper retineat, Vicarius autem temporalis expositus eandem solum provisorio modo, & tanquam Cooperator, administret, ut dictum est num. 11. & 17. Proinde, si pendendi essent primi fructus ex his Parochiis, pendendi essent tum primum, quando per mortem Prælati vacat dignitas Abbatialis, quippe qui, ut dictum est, curam actualem in illis habet. In quo tamen ipso

28.

3. Moderatio aliqua necessariò facienda esset; nam, ut patet ex Bulla, num. 6. allegatâ, Parochiæ istæ à pluribus sæculis pleno jure incorporatæ sunt Monasterio B. atque hoc decimas ex istis Parochiis percipit, percepitque hætenus non tantum titulo Parochiæ, sed etiam foundationis anniversariorum, emptionis, permutationis, ac dotationis ipsius Monasterii: ut adeò decimæ istæ autoritate Ecclesiasticâ, & cum solennitatibus, à SS. Canonibus ad alienationem bonorum Ecclesiasticorum requisitis (quarum interventus, si intra longissimum tempus non fuit impugnata alienatio, per ea, quæ docent

Laym. libr. 3. tract. 4. c. 10. n. 4. Barbos. de offic. Ord. alleg. 95. n. 72. Palao tract. 12. D. un. p. 15. §. 2. n. 13. præsumitur) à Parochiali titulo, utpote per unionem ejusmodi extincto, separatæ, & Monasterio attributæ censeri debeant. Adde, quòd

29.

4. Idem Monasterium à multis sæculis ab hoc, & aliis præmemoratis oneribus semper fuerit omnino immune, nec unquam fuerit vel obolus ab eo petitus, vel datus; ut adeò obligatio præstandi fructus

primos in mutatione expositorum dici possit, si non aliunde, saltem præscriptione immemoriali sublata fuisse, sumpto argumento à pari cum procurationibus, ob visitationem Ordinario debitis, quibus per ea, quæ docent

Abb. p. 2. conf. 26. n. 4. Marian. tract. de Visit. n. 52. Piasec. Prax. Episc. p. 2. c. 3. art. 8. n. 15. cum aliis,

Præscriptione immemoriali derogari potest. Ratio est, quia, sicut ab obligatione solvendi procurationes, ita etiam à præstandis fructibus primis immunitas privilegio Apostolico acquiri potest. Sed præscriptio immemorialis, si præscribens sit capax possessionis (prout capax est sæpe laudatum Monasterium) nisi jus commune resistat, æquivalet Privilegio. Ergo &c. Imò

5. Cum, ut iteratò dictum est, Parochiæ, Collegio huic incorporatæ, faciant unum corpus cum ipso Monasterio, & ab eodem, quando novus Abbas eligitur, solvi debeant annatæ valde notabiles, hoc ipso solvi censentur fructus primi pro dictis Parochiis; annatæ enim sunt pensiones, sive certæ quantitates pecuniæ, quæ de dignitatibus, & beneficiorum Ecclesiasticorum vacantium fructibus primi anni solvuntur, & ideo annatæ dicuntur, ut notant

Fagnan. in c. præterea 1. ne Prælati vi- ces &c. n. 8. Leuren. p. 2. for. benef. q. 601. n. 1. Wex Ariadn. p. 1. tab. 17. membr. 2. princ. la Croix libr. 4. n. 674.

Censentur ergo Annatæ istæ solvi de toto corpore, ejusque membris omnibus, adeoque etiam de Parochiis, eidem Monasterio accessorie, & pleno jure incorporatis, ut adeò, cum unius, ejusdemque debiti solutio bis peti non possit, de jure nequeat aliquid de dictis Parochiis primorum fructuum nomine speciatim exigi.



CON-